

VERSION LATINE DE VALIDATION
PROPERCE, *Élégies (Elegiae)*, III, 8, v. 1-36
Fais-moi mal !

- 1 Dulcis ad hesternas fuerat mihi rixa lucernas,
uocis et insanae tot maledicta tuae !
Cur furibunda mero mensam propellis et in me
proicis insana cymbia plena manu ?
- 5 Tu uero nostros audax inuade capillos
et mea formosis unguibus ora nota ;
tu minitare oculos subiecta exurere flamma,
fac mea rescisso pectora nuda sinu !
Nimirum ueri dantur mihi signa caloris,
- 10 nam sine amore graui femina nulla dolet.
Quae mulier rabida iactat conuicia lingua¹
et Veneris magnae uoluitur ante pedes,
custodum gregibus circa se stipat euntem,
seu sequitur medias, Maenas ut icta, uias,
- 15 seu timidam crebro dementia somnia terrent,
seu miseram in tabula picta puella mouet,
his ego tormentis animi sum uerus haruspex ;
has didici certo saepe in amore notas.
Non est certa fides, quam non in iurgia uertat :
- 20 hostibus eueniat lenta puella meis !
In morso aequales uideant mea uulnera collo :
me doceat liuor mecum habuisse meam !
Aut in amore dolere uolo aut audire dolentem,
siue meas lacrimas siue uidere tuas,
- 25 tecta superciliis si quando uerba remittis
aut tua cum digitis scripta silenda notas.

1. Suppléer un *seu* au début des vers 11 et 13.

Odi ego quae numquam pungunt suspiria somnos ;
semper in irata pallidus esse uelim.

Dulcior ignis erat Paridi, cum grata per arma

30 Tyndaridi poterat gaudia ferre suae :
dum uincunt Danaï, dum restat barbarus Hector,
ille Helenae in gremio maxima bella gerit.

Aut tecum aut pro te mihi cum rivalibus arma
semper erunt : in te pax mihi nulla placet.

35 Gaude quod nulla est aequae formosa ; doleres,
si qua foret : nunc sis iure superba licet.

(36 vers – 251 mots)

Agrégation externe
de Lettres classiques 1993